



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Cultu Sacrosancti Cordis Dei Ac Domini Nostri Jesu Christi

Galliffet, Joseph de

Romae, M.DCCXXVI.

Oblatio sui suarumque rerum ad Cor Jesu.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45817](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45817)

gratia tua confirma : fixum namque mihi ratumque est, viribus omnibus eniti, ut nulla ex parte honori tibi debito in posterum defim : firmum est irreverentias pristinas, summa reverentia : negligentiam, diligentia : oblivionem tui, frequenti memoria compensare. Denique nihil omittere, quod ad amorem meum gratumque animum testificandum, abolendaque priora peccata conducere arbitror. Hoc statuo, hoc firmissime decerno, gratiaque tua adjutus me effecturum confido. Amen.

Oblatio sui suarumque rerum ad Cor JESU.

P. Claud. la Colombiere de quo supra, hujus exercitii author est, in quo nihil immutandum censuimus. Porro oblationis causas in hunc modum Vir Dei præmittit.

Fieri debet hæc oblatio ad honorem Cordis Jesu, quod virtutum omnium sedes est, & gratiarum divinarum fons, animarumque Sanctarum perfugium. Virtutes autem ob quas Cor illud sacrosanctum coli debet, hæ sunt præcipuæ. Amor in Patrem ardentissimus, cum summa veneratione ac summissione conjunctus. Patientia in malis tolerandis infinita. Dolor de peccatis immensus; pro quibus videlicet justitiæ divinæ satisfacere onus ultro in se suscepit. Fiducia dilectissimi Filii propria, pudori ac verecundiæ maximi peccatoris consociata. Commiseratio erga homines terrissima, &, miseris nostris nonobstantibus, charitas in nos & amor ardentissimus. Denique in mediis hisce
affe-

affectionibus tam variis ac diversis, tamque vehementibus, ut augeri nullo pacto possent, (quippe quæ omnes summum perfectionis gradum attigissent.) Pax tamen summa & tranquillitas, orta scilicet ex conformitate cum divina voluntate tam omni ex parte perfecta, ut quicquid vel zelo ipsius vel amori, vel alteri cuilibet ex prædictis affectionibus contrarium accideret, quantumcumque demum illud esset, eo ne levissime quidem pertubaretur. In eodem hodie statu verfatur etiamnum Cor illud sanctissimum: in primisque summo hominum amore flagrat, tametsi ejus amori homines nequaquam respondeant, nihilque præter contentum incredibilemque duritiem rependant. Ardet Jesus amore nostri, neque redamatur tamen; imo amor illius ne agnoscitur quidem: nempe hominibus ea dona respicientibus ac dedignantibus, quibus Jesus amorem suum testificari ac declarare solet, ac cuperet. Ego vero, O Cor Jesu mei dilectissimi! Cor adoratione & amore meo dignissimum! tot ac tantas injurias in te commissas, farciendi eluendique desiderio inflammatus, utque ingrati animi vitium quantum in me est fugiam, Cor meum cum omnibus suis affectionibus, ac me denique totum tibi penitus offero tradoque. Testor hoc esse purum ac sincerum desiderium meum, ut ex hac ipsa hora ac momento, mei, mearumque rationum penitus obliviscar: ut sublatis omnibus impedimentis in sacrosanctum Cor tuum, quod mihi singulari misericordia referasti, introire, ibique cum fidelibus servis tuis, vivus ac moriens habitare queam:

er-

ergo amore tui totus incensus, huic divinissimo Cordi libens offero meritum omne, omnemque satisfaciendi vim, quæ inesse poterunt tum Missæ sacrificiis, tum orationibus, tum operibus pœnitentiæ, humilitatis, obedientiæ, cæterarumque virtutum omnium, quæ toto vitæ meæ tempore ad extremum usque spiritum facturus sum. Hæc omnia non solum in laudem & honorem Cordis Jesu fieri volo, sed præterea enixe & summissè precor, ut perfectam horum omnium donationem, quam eidem sanctissimo Cordi facio, admittere non dedignetur: ita ut de iis omnibus disponere pro arbitrio possit; ea, cui voluerit attribuendo, aut in quemcumque finem ei placuerit destinando. Atque quum jam animabus in purgatorio detentis concesserim, quicquid in actionibus meis satisfactorium esse potest: cupio ut hoc ipsum animabus illis secundum Cordis Jesu beneplacitum impendatur. Porro quum ejusmodi donatio nullatenus impeditura sit, quominus Missæ sacrificia, cæterasque orationes offerre possim, prout obedientia aut charitas quandoque exigent; tunc, quum alienis bonis, atque ad Cor Jesu pertinentibus usus sim, animus est, ut omnia virtutum opera, quæ tum temporis exercere continget, Cordi Jesu tanquam bona ipsi propria, dicata & consecrata maneant. O Cor sanctissimum, viam obsecro edoce, quam inire debeam, ut mei penitus oblitus, amoris tui puritatem, cujus mihi desiderium infudisti, consequi valeam. Incendor equidem vehementi tibi placendi desiderio: at sentio, me quod cupio nequaquam

Y asse-

assequi posse sine ingenti auxilio, quod tu solum præstare potes. Perfice igitur in me, O Cor sanctissimum, quicquid tibi acceptum est tuæque voluntati conforme. Sentio equidem repugnare me ac resistere; sed nollem certe, nisi me fallit animus: tuum est præstare omnia, atque perficere: tibi uni sanctitatis meæ (si adipisci tandem contingat) gloria debetur: neque ego alio fine ad sanctitatem aspirare deinceps volo, nisi ut tu demum lauderis, ac glorificeris. Amen.

Exercitium ad Cor MARIÆ.

O Maria, Mater Dei augustissima, hanc veniam servulo tuo clemens indulge, ut mihi liceat selectis illis famulis tuis conjungi, qui peculiari cultu & studio Cor tuum immaculatum prosequuntur: ut ipse quoque gratiarum, huic pietatis officio tibi ac Filio tuo gratissimo, affixarum, particeps effici merear.

O Cor Mariæ, omnipotentissimæ Dei manus opus perfectissimum. Cor sanctitate, puritate, nobilitate, sublimitate, Dei Matre dignum: simulque Redemptoris Matre, misericordia, humilitate, charitate, mansuetudine, dignissimum. Tu, fons inexhaustus bonitatis, dulcedinis, beneficentiæ, commiserationis. Tu, virtutum omnium perfectissimarum ac purissimarum exemplar. Tu, Cordis Jesu imago quam simillima. Tu, flammis amoris divini super omnia Seraphim indefinenter & ineffabiliter ardes. Tu, gloriæ Dei plus servis affectionibus tuis vel levissimis, quam alii Sancti

con-